

*simul* addita est principio, ut posset se ad omnia porrigeret; nam 1º particula *simul* significat per se sensum compositum utriusque contradictorii, sive in tempore, sive extra tempus: 2º notio temporis h. e. ejusdem instantis, in quo habeatur sensus compositus utriusque contradictorii pro contingentibus, exigitur ab ipsa natura principii, quo negatur sensus compositus entis, et non entis; affirmatur enim quod *ens, si est, nequit non esse*; nempe; *dum est, nequit non esse*.

Porro ut omnia, quae huc spectant, heic complectantur, contingentia duplex distinguenda est; altera exsistentiae, qua potest aliquid existere, et non exsistere; altera essentiae indeterminatae, sive abstractae, sive concretae, quae potest diversis differentiis coactari, aut qualitatibus distingui, singulisque carere: ex. gr. animal potest esse rationale, et irrationale; extensus potest esse rotundum, et quadratum. In his omnibus, in quibus necessitas inhaerentiae formae in sujecto est solum hypothetica; ut repugnantia duplicitis formae contradictiones habeatur, oportet ut una et altera eodem instanti inesse concipiatur; nam secus ille sensus compositus non obtinet, cuius principium contradictionis possibilitatem negat.

DEMONSTRATIO II. PARTIS. Advertatur in primis nos heic disputare de primatu affirmationum, non vero apprehensionum; ideoque non comparare affirmationes cum apprehensionibus, sed affirmations solas inter se. Deinde nos non loqui tantum de affirmatione explicita, sed vel explicita, vel implicita. Tandem nos loqui de iis affirmationibus, quae spectant ad ordinem principiorum, non tantummodo factorum.

Jam vero prior affirmatio ea est, virtute cuius alia ponitur. Prima autem est ea, quae in nulla alia affirmatione rationem habet, et est fundamentum ceterarum.

Itaque cum conceptus entis omnes intellectus cognitiones pervadat, ac fundamentum earum sit, etiam affirmations, quae ex ente immediate procedunt, fundamentum ceterarum esse debent, ideoque primae.

Quaeritur vero quaenam inter has sit prima. Jam vero si comparentur invicem haec tria principia, liquet principium exclusi medii, quatenus adaequate sumptum negat medium ullum haberi posterius esse principio contradictionis. Nam exclusio medii habet fundamentum in eo, quod principium contradictionis affirmat; ideo